

Coniecturae in Sallustii Catilinam.

20, 11 Etenim quis mortalium, cui virile ingenium est, tolerare potest, illis divitias superare, quas profundant in extreundo mari et montibus coaequandis, nobis rem familiarem etiam ad necessaria deesse? illos binas aut amplius domos continuare, nobis larem familiarem nusquam ullum esse?

Quamquam et larem et larem familiarem veteres dixerunt, tamen hoc loco illud solum scriptori tribendum, familiarem librario imputandum est. Ut enim Sallustius pro suo variandi studio ab eiusdem vocabuli repetitione, nisi cum figura quadam utitur dictionis, abhorrire solet: ita librarii oscitantia eo facilius addi potuit familiarem, quo magis proclive erat ab ultima syllaba vocis larem ad voculam rem aberrare. Simili modo 14, 5 in codicibus aetate ex sequenti versu perperam in priorem quoque irrepsit.

31, 3 Ad hoc mulieres, quibus rei publicae magnitudine belli timor insolitus incesserat, afflictare sese, manus supplices ad caelum tendere, miserari parvos liberos, rogitare, omnia pavere, superbia atque deliciis omissis sibi patriaeque diffidere.

Non erat quod Dietschius legentes admoneret, ne verbum *rogitare* absolute positum negligerent; nemo enim non istud mirari poterit, praesertim cum neque afflictare nec tendere nec miserari nec pavere accusativo careat. Agedum illi quoque verbo suum accusativum restituamus, cum scribimus: *rogitare omnia, omnia pavere*. Hanc ipsam enim chiasmi quem vocant rationem et Sallustium saepissime usurpasse et librarios altero vocabulo omisso haud raro corrupisse, multo pluribus demonstrari potest exemplis quam huc afferre licet. Cf. de solo adiectivo *alius* cum gravitate quadam repetito Iug. 2, 1, 12, 5. 80, 6, qui loci in libris recte traditi sunt; Cat. 11, 4. 17, 1. Iug. 60, 4, ubi deteriores aliquot codices alterum *alius* omiserunt; Iug. 78, 2, quo loco omnes libri praeter duos nequissimos altero *alius* carent.

33, 1 Deos hominesque testamur, imperator, nos arma neque contra patriam cepisse neque quo periculum aliis faceremus, sed uti corpora nostra ab iniurie tuta forent, qui miseri egentes violentia atque crudelitate feneratorum plerique patriae sed omnes fama atque fortunis expertes sumus. Offendit illud plerique patriae expertes sumus. Quomodo enim ii, qui patriam non habent, argui possunt se arma contra patriam cepisse? Vel quo pacto Catilinae (58, 11) licuit eosdem dicere pro patria pro libertate pro vita certare, nisi

isti illa bona habebant eaque ne sibi eriperentur defendebant? Nam quominus ita locum explicemus, quasi libera re publica dominatione paucorum oppressa omnino nullam extare patriam C. Manlius dicat, impeditur voce plerique, quae cum paucos patriae expertes non esse indicat, eadem patriam extare ostendit. Apparet emendatione huic loco esse succurrendum. Quid vero a Sallustio, qui sententias solet iterare, scriptum fuerit, ex iis colligere licet, quae initio huius scriptiunculae ex oratione Catilinae (20, 11) allata sunt. Is sociis larem nullum esse queritur; similiter Manlius dixisse putandus est: plerique patriae *sedis*, omnes fama atque fortunis expertes sumus. Scilicet domo patria pulsi sunt homines miseri feneratorum violentia. Cui emendationi suffragatur cum illud plebis innoxiae patrias sedes occupavere pauci, quod est in oratione M. Lepidi 12 (cf. *patria domus* Iug. 14, 11. 17), tum hoc quod tali lectione efficitur asyndeton, quo melius plerique et omnes inter se contenduntur, quam coniunctione sed interposita*.

43, 3 Inter haec parata atque decreta Cethegus semper querebatur de ignavia sociorum: illos dubitando et dies prolatando magnas opportunitates conrumpere. Prolatare et absolute ponitur a Sallustio velut in or. Lep. 7 et cum substantivis coniungitur: consultationibus Iug. 27, 2; seditionibus or. Phil. 16; bellum ep. Mithr. 12; (perniciem) tuam ibid. 23. Nusquam a Sallustio refertur ad nomen aliquod, cui ipsa temporis notio insit. Itaque hoc quoque loco dies prolatando ferri nequit; scribendum est *in dies prolatando*, quod item legitur in ep. Mithr. 12 (*in dies prolatans*).

53, 4 Sed mihi multa legenti multa audienti, quae populus Romanus domi militiaeque mari atque terra praeclara facinora fecit, forte lubuit adtendere, quae res maxume tanta negotia sustinuissest. Sciebam . . . Cognoveram . . . Ac mihi multa agitanti constabat paucorum civium egregiam virtutem cuncta patravisse.

Multa agitare nihil aliud esse potest quam multas res diligenter agere, ut est in Cat. 27, 2; quod cum ab universa huius loci sententia alienum sit, sequitur ut multa agitanti minus recte scriptum esse videatur. Neque quid substituendum sit, difficile est inventu; ut enim multa agitanti nihil procedere solet, ita sive unam rem sive plures, quae inter se artius coniunguntur, diu multumque agitando et pensitando proficere licet. Restituendum igitur est *multum* agitanti; nam maxime proclivi errore multa exarari potuit, sive syllabam um ante a non plene pronuntiatam esse cogitaveris, sive quod in eunte capite recte scriptum est (multa legenti, multa audienti) male hic a librario repetitum credideris.

Wirceburgi.

Adam Eussner.

* [Das Manuscript unseres Herrn Mitarbeiters befand sich bereits in unseren Händen, als A. Weinhold's ähnliche Behandlung dieser Stelle in den 'Acta societatis philologae Lipsiensis' I p. 233 f. erschien.
D. Red.]